



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

20 Quaedam quaestiones de forma exercendi iudicij, & generatim de  
feudis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**

ples civilis, & profanus Iudex. Sic Tancredus Vincentinus, & Hostiensis, teste Panormitano in *lro citato* ratio eorum est, quia Ecclesia rei feudalis dominium non habet, nisi uti-  
le. Ergo in causa feudali omnia inter vassallos Ecclesie laicos, non agitur de re Ecclesie, sed de vili dominio, quod feuda-  
tarius habet.

Altera opinio est Glossæ in *disto. §. verum*. talem negli-  
gentiam suppleri non posse per Iudicem civilem, sed per Ec-  
clesiasticum superiorem, etiam si vassalli sint laici, ad eum  
enim tota causa deuoluitur. Antea. in *disto. cap. verum* di-  
stinguit, si feudum est Ecclesiasticum, & concessum à Prin-  
cipe Laico, tunc laicus superior, tanquam dominus feudi,  
supplere potest negligentiam Ecclesiastici domini. Si feudum  
est Ecclesiasticum, & non est obtentum à laico, sed ab Ec-  
clesia, tunc Ecclesiasticus superior supplet negligentiam Ec-  
clesiastici inferioris, nisi contrarium habuerit consuetudo:  
Panorm. verò loco citato ait, etiam si feudum sit ab Eccle-  
sia, modo quæstio feudalis sit inter vassallos laicos, si negli-  
gens sit Ecclesiasticus Iudex, & Dominus inferior, suppleri  
vicem eius ordinatum Iudicem secularem: id probat dua-  
bus, aut tribus rationibus, quando Episcopus est Iudex feu-  
di, non ut Episcopus, sed ut Dominus rei feudalis, ac proin-  
de ut laicus. Iudex enim Ecclesiasticus supplet negli-  
gentiam Iudicis profani, non contra, extra causas feudales, eo  
quod Ecclesiasticus Iudex cum tractet causas spirituales,  
superior est Iudice civili, qui tantum tractat causas tempo-  
rales, & civiles. Secus est in causis feudilibus, vbi Episco-  
pus Iudex est feudi, ut Dominus, & proinde ut laicus.

Octauo queritur, An iurisdictio, quam habet Dominus  
feudi in vassallos litigantes de feudo, sit ordinata, & an de-  
legata? Respondeo, esse ordinatam. Est in re opinio com-  
munis, teste Curcio apud Clarum, *quæst. 90*. Ita enim docet  
Innoc. & Panorm. in *cap. casorum, de iudicis, & in cap. ve-  
rum, de foro compet.* Et ratio est, quia est iurisdictio à lege  
data, videlicet constitutione Federici Imperatoris, *lib. 2. fe-  
udo. tit. 55. §. præterea*. Nec impedit si sit iurisdictio ad cer-  
tas causas, videlicet feudales, non ad omnes: quia factus est,  
si sit iurisdictio à lege data.

Nono queritur, an quando vassallus est clericus, & cau-  
sa est criminalis, quia agitur criminaliter, vel civiliter, de  
crimine, ut ipse Clericus feudo priuetur, Dominus feudi lai-  
cus possit de crimine clerici cognoscere, & iudicare? Respon-  
deo cum Innoc. & Abbate in *c. verum. n. 17. de foro comp.*  
minimè, quia laicus clericum punire non potest, ergo nec  
de crimine eius cognoscere: deferenda causa est ad Præla-  
tum ordinatum, & si ille clericum criminis damnauerit,  
ob quod mereatur feudum amittere, tunc Dominus feudi  
eum feudo priuandum per Iudicem competentem curabit.  
Et si à crimine clericum prælatus absoluerit, tunc Dominus  
feudi nequit ultra procedere.

Decimo queritur, An Dominus feudi laicus possit con-  
tra vassallos clericos sententiam priuationis feudi executio-  
ni mandare, ita ut eos à feudi possessione repellat? De hac  
quæstione Panormitanus, in *cap. verum. n. 23. de foro com-  
petenti*.

Dux sunt opiniones, vna asserentium, id Dominum feu-  
di posse facere, ita sentit Innocentius, teste Panormitano.

Altera verò est, negantium posse in clericum manum in-  
iicere, contra Canonem, si quis suadente: vel vim inferre,  
sed debet clericus à possessione feudi amoueri per Iudicem  
Ecclesiasticum, quoniam quemadmodum laicus de crimi-  
ne clerici cognoscere, vel iudicare non potest, sic etiam clericus  
punire, aut compellere nequit: ergo sicut Iudex Ec-  
clesiasticus solus cognoscit de crimine, quo clericus mere-  
tur priuationem feudi, sic solus potest clericum à possessione  
feudi repellere. Ita contra Innoc. Ioan. Andr. & Panormi-  
tanum.

Vndecimo queritur, Quis sit Iudex competens, ad quæ  
possit appellari in causa feudali? Respondeo cum Innocen-  
tio & Abbate in *cap. verum. num. 25. de foro competenti* esse  
Iudicem competentem Dominum superiorem, qui rem in

feudum concessit, tamen ille sit laicus, & Tu Iudex inferior, ac  
vassalli Dominus, à quo appellatur, sit clericus, quia tunc  
is Iudex inferior non cognoscit, & iudicat causam feuda-  
lem, ut clericus, vel Episcopus, sed tanquam Dominus feu-  
di, & ideo si habet alium superiorem etiam laicum, qui sit  
Dominus feudi, ad eum est appellandum, Verbi gra-  
tia, sit Episcopus Dominus inferior feudi habens  
vassallum laicum, vel illud feudum sit datum Ecclesie  
cathedrali ab Imperatore, vel Rege, vel alio laico Principe,  
tunc si appelletur à sententia Episcopi in causa feudali, ap-  
pellandum est ad Imperatorem, vel Regem, vel Principem  
superiorem Dominum illius feudi, à quo Ecclesia feudum  
accepit, quemadmodum si aliquis Episcopus sit idem &  
Canonicus alicuius Ecclesie, sed & inter Canonicos tam-  
quam Canonicus, non tamquam Episcopus.

Duodecimo queritur, Quid dicendum, quando contra  
Dominum volentem inter vassallos de causa cognoscere,  
vni ipsorum aliquem excipit, nimirum negando se esse  
vassallum? numquid ipse Dominus potest cognoscere, an  
sit sua iurisdictio? Respondeo Curcius de *feudis parte septi-  
ma, in secunda regula, quæst. 7*. esse communem sententiam  
non posse, quia nemo esse potest Iudex in propria causa.

Quære iudicis est ordinari cognoscere, an hic sit vassal-  
lus, & postquam probatum fuerit eum esse vassallum, cau-  
sa de feudo ad Dominum pertinet.

Decimo tertio queritur, Vtrum vassalli, qui de feudo litigant,  
possint ad alium Iudicem causam feudalem deferre  
ex communi consensu, absque voluntate Domini? Respon-  
deo, minimè: Ita Bartolus, Alexander, Iacobus Curtius, &  
alii apud Clarum, *quæst. 90*. Et ratio id ostendit, quia iurisdic-  
tio ordinata conuenit Domino feudi ex lege, ergo vassal-  
li, dum litigant, nequeunt ad alium Iudicem causam deferre,  
quia contra leges, & iura priuatis facere contraria non  
licet.

Quadam quæstiones de forma exercendi iudicii,  
& generatim de feudis.

CAPVT XX.

PRIMO queritur, Quæ nam forma exercendi iudi-  
cii in causa feudali seruetur? Respondeo, seruari ius  
Romanum, nisi qualenus consuetudo in libris Feudo-  
rum contraria reperitur. *titul. 1*. Exempli gratia, iure feu-  
dorum soli pares curie admittuntur ad testimonium dicen-  
dum, nulli verò extranei, *lib. 1. tit. 26*. quod à iure Romano  
abhorret: sunt enim aliquot exceptiones, si vel tempore in-  
uestituræ pares affuerint, vel si clericus velit inuestituram  
probare, tunc recipiuntur testes extranei. Item si nulli alii  
vassalli fuerint, per extraneos licet alicui inuestituram  
probare, *lib. 2. tit. 2. §. Si autem*.

Singulare quoque est in feudis, ut quinque testes sint ne-  
cessarii ad probandum crimen in vassallo, *lib. 2. tit. 57*. cum  
iure civili ad id probandum duo testes sufficiant. *l. vbi ff. de  
testibus*. Item in feudali causa, femina ad testimonium non  
admititur, *lib. 2. tit. 32. ad finem*. cum in aliis causis, iure  
Romano, femine testimonium recipiatur, *l. 2. c. ff. de te-  
stibus*. Insuper in feudis, instrumentum publicum nullam  
vim habet, nisi in tribus, vel duobus paribus curie sit con-  
firmatum, *lib. 2. tit. 2. c. 32*: ac instrumentum publicum  
iure Romano per se fidem facit.

Secundo queritur, Quid sit dicendum, vbi duo conten-  
dunt, vtrum prædium sit feudale, vtri nam eorum in-

cumbat probatis, an etiam alio die? Respondeo, rem omnem censeri liberam, nisi contrarium probetur. *l. Altius, & l. in adibus, C. de sexantibus*. Et quia feudum seruitus quædam est, res unaquæque creditur esse allodialis, non feudalis, nisi contrarium ostendatur. Nec satis est, si Dominus feudi dicat, se iurisdictionem habere in territorio: nam fieri potest, ut iurisdictionem ibi habeat, sed nec feuda, nec vassallos, *lib. 2. tit. 5. §. Si vero*.

Tertio quaeritur, Vtrum vno vassallo deficiente, feudum accrescat alteri? Respondeo, minime: feudum enim per successionem acquiritur, non autem accrescit alicui. Bartolus in *l. Si mihi, ff. de verborum obligationibus*. & Panormitanus, in *cap. vlt. de feudis*.

Quarto quaeritur, An Ecclesia possit citra usuram feudum recipere in pignus, hoc est rem suam, quam alteri dedit in feudum, recipere tanquam pignus, & interim fructus facere suos. Respondeo, posse, hoc enim declaratum est in *cap. de feudis*. dummodo interim vassallum liberet à ministerio, & obsequio debito.

Dubia autem quæstionis est, cur usura non fit, si id faciat Ecclesia, cum tamen usura sit, si fructus pignoris in fortem non computet creditor?

De hac quæstione egimus supra. In præsentia loco autem sufficit breuiter dicere, Glossam communi consensu improbatam, cum dicit, hoc est speciale in Ecclesia, vt res citius ad eam reuertatur, nec habere locum in laico. Contra quod est argumentum, quia usura iure diuino, & naturali damnatur, ergo Ecclesia non permittit usuras.

Aliorum est opinio textum prædictum non habere locum nisi in Vassallis Ecclesiæ, agros colentibus, & soluentibus pensionem fructibus æqualem. Sed contra est, quia textus generatim loquitur.

Alii putarunt, rationem textus esse, quia sic ab initio inter Ecclesiam, & vassallum conuenient, & contractus ex pacto contrahentium legem sortiuntur. Hoc etiam responsum nullius est momenti, quia pactum non valet, vt soluat usura. *cap. Debitorum, de iur. iur.* Innocentius dixerunt, causam in prædicto textu intelligi, quia feudum Ecclesiæ contra ius possidebatur, nec illud recuperare Ecclesia poterat.

Hæc etiam sententia merito reuocatur, quia posset ecclesia ministerium exigere, donec recuperaret totum id, quod ipsius intererat.

Quare dicendum est cum Hostiensis, Ioanne Andrea, Panormitanon, & aliis, id quod prædicto in textu decernitur, vim & locum habere ex natura, & conditione feudi, quæ talis est, vt directum dominium penes dominum maneat, & vtile ad vassallum transferatur, ea lege, vt certum ministerium, & obsequium Domino exhibeat, alioqui res in feudum data ad Dominum reuertatur, & vtile dominium cum directo consolidetur. Quare cum res feudalis ad Dominum redit, Dominus ex se sua percipit fructus, & proinde tacit suos.

Ergo, dices, tunc Dominus non habet feudum in pignus quia rei propriæ pignus non est? Respondeo, non esse propriæ pignus: habere tamen aliquid, quod est proximum pignoris, quia Dominus retinet sibi feudum, donec vassallus sibi satisfactus, eo quod debitum ministerium, & obsequium denegauerit.

Quinto quaeritur, An feudum paternum debeat filius in legitimam portionem computare. Hanc quæstionem tractat Clarius *lib. 4. Receptarum sententiarum, §. Feudum, quæst. 46*, & respondet: Si feudum pater accepit sibi, & hæreditibus, tunc quia dicitur hæreditarium, debet filius in legitimam computare: idque probat Bartoli testimonio, & Ruini.

Idem, inquit, iuris est, si pater accepit sibi, & liberis. Idem quoque, si pater accepit simpliciter, vt possit transferre in quos voluerit: Nam in his casibus filius cogitur in legitimam portionem computare: quoniam accipit illud à patre eodem iure, & nomine, quo accipit alia bona paterna. Ad idem iuris non est, si feudum ad filium deueniat aliunde quam ex parte, quia tunc feudum censetur in bonis sibi aduentitiis, vel etiam castrensibus, vel quasi castrensibus.

os (so  
7

FINIS LIBRI DECIMI

